FRANCISCO ALESSANDRINIO RECTORI ALUMNIORUM ECCLESIAE...

Carmelo C. Galanti



FRANCISCO ALESSANDRINIO

RECTORI ALUMNORUM ECCLESIAE RIPANAE

A PIO IX PONT. MAX.

PONTIFICATUM RIPANORUM ADEPTO

SACRUM SEMINARIUM



****

DEIPARAE VIRGINI

ELEGIA

Criminibus foedam tellurem esperuor et odi;
Evehor, ad superos me rapit aura levis.

Ocius ad solium me fert regnantis ab alto,
Qui terrae et ponto sideribusque praeest.

Me lux inde ruens immenso flumine terret,
Nec faciem valeo Numinis aspicere.

Flectere tunc oculos cogor; mox agmina cerno,
Quorum ornant flaves lucida serta comas.

Enitet, ac sede excelsa sublimior adstat,
Quae merita est VIRGO progenuisse Deum.

Ista, recens potuit prisco quia jungere foedus,
Isacidum nectit Christiadumque choros.

Stat laeva propior vetitum est ab arbore pomum
Fallaci exhibuit femina prima manu.

Stat propior dextrae coelestis Claviger aulae;
Ordine Caelicolûm coetus uterque subit.

Examen volitat circum trepidantibus alis
Aligerûm praestans obsequium Domino.

Advenit a Triade, ad Triadem redit; ignis et instar
Fulminei velox itque reditque viam.

Qui mago lectitio gestit, mage fervet amore,
Angelus est, VIRGO, qui tibi dixit *Ave.*

Ut vincunt fluvii rivos, ut sidera luna,
Pretenses flores ut rubicunda rosa,

Majestate gravi et vultu Regina corusco
Aethereos cives haud secus exuperat.

Quod sese celsa tollentes vertice montes,
Quod leviter fusus sole oriente vapor,

Quod decoris sylvae, quod agri, quod gemma, quod aurum,
Quod mare, quod caeli lucidus axis habet,

Virgineo et quod inest ori, vernanta juventa,
Frons dum albet, rident lumine, mala rubet,

Hoc omne, at longo melius, melioreque forma
Expressum, facies VIRGINIS una refert,

Aligeri incipiunt centum... Quae gratior aures
Permulcet nostras seu lyra seu cithara

His collata modis stridet; tum dulciter hymnos
Gutture caelesti cotera turba canit.

Cum Deus, Aligeri clamant, ludebat in orbe,
Cum legem ponto sideribusque dabat,

Illius ante oculos tua primum effulsit imago,
Pulchrior atque placens tu mage lusus eras.

Clamant Coelicolae contra: Tu colla tumentem
Contrivisti anguem, candida VIRGO, pede.

Hinc caeli patuere fores, hinc gratia nobis
Parta uber, nostra hinc est reparata salus.

Mox alias celebrant laudes, mox carmina dicunt
Alta nimis, labiis non recitanda meo.

Edere ego vocem adnitor, vox faucibus haeret;
Dum meditor laudum carmina lingua silet.

Corporis heu! miserum impediunt me vincula! Solve
O precor haec Mater vincula, solve cito.

Fac scelera illacrimem, virtutum lumine fulgens
Fac sistam aeterni Judicis ante thronum.

Sic Unum ac Trinum, ut solem regina volucrum,
Fixa oculorum acie tunc potero aspicere.

Sic tibi tunc potero meritas persolvere grates,
Promere sic digno carmine dulce melos.

C. C. GALANTI



RIPAETRANSONIS
EX TYPOGRAPHIA CONRADI JAFFEI
1871